Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8340
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



meis ut inhiret in me uirtus xpi. Sdm Luca.

Dixit ihs. Cum turba plurima conueniret: et de ciuitatibus festinarent ad ihsum dixit per similitudinem. Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat: aliud cecidit secus uiam. et conculcatum est. et uolucres celi comederunt illud. Et aliud cecidit super petram et natum arunt. quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas: et simul exorte spine suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam. et ortum fructum fecit centuplum. Hec dicens clamabat. Qui habet aures audiendi audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius. que esset hec parabola. Quibus ipse dixit. Vobis datum est nosse mysterium regni dei. Ceteris autem in parabolis. ut uidentes non uideant. et audientes non intelligant. Est autem hec parabola. Semen est uerbum dei. Qui autem secus uiam sunt. hi sunt qui audiunt. deinde uenit diabolus et tollit uerbum de corde eorum ne credentes salui fiant. Nam qui super petram: qui cum audierint cum gaudio suscipiunt uerbum. Et hi radices non habent. quia ad tempus credunt. et in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinis cecidit: hi sunt qui audierunt. et a sollicitudinibus et diuitiis et uoluptatibus uite euntes suffocantur et non referunt fructum. Quod autem in bona terram hi sunt qui in corde bono et optimo audientes uerbum retinent et fructum afferunt in patientia. Dnica ii. Ad Corinth.

Fratres. Si linguis hominum loquar et angelorum caritatem autem non habeam: factus sum uelut es sonans. aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam et nouerim mysteria omnia et omnem scientiam. et habuero omnem fidem ita ut montes transferam caritatem autem non habuero nichil sum.